

1

2, Epitaphia Cphi. Merzinii a Kurozwoki.

3, Dresser, Chrph. Radzivil.

4, Burfius, Oratio funebris.

5, Jacobellus, Feralis pompa in funere A. Corvini.

6, Siemek, Andr. Lipe Lipski.

7, Jacobellus, idem q. no. 5.

8, Ch. de Chalecz Chalecky

9, Comenius, Spiegel guter Obrigkeit.

8 9

AD ILLVSTREM, AC MAGNIFICVM DOMINVM, D. PETRVM DE VVIESIOLOVV VVIESIOLOVVSKY,

Marſchalcum Curiæ S^æ.R^æ.Mis, M^i. D^i.L^æ. &c. &c. Dominum ſingulari obſeruantia colendum.


Carmen dedicatorium.


E vocat ad famæ ſtudium tua gratia ſuauis,
Sollicitatque meum pectus honoris amor.
Ad te prima volant noſtræ molimina Peithus:
Non erit in magnis vel voluiſſe pudor.
Deterere ingenij vires, & frangere niſus,
Materiæ grauitas, laus potuitque Ducis:
Nomine tuta tuo mea ſed monimenta putaui
Defuncto Heroï quæ monimenta dabunt.

ILL. D. T.

addictiſſimus.

CHRISTOPHORVS DE CHALECZ CHALECKY.



AD LECTOREM.

EST quod te (lector beneuole) in vestibulo ipso amicè precer, & admoneam: morigerum te vt præbeas, & æquum in recens ac tenerum ingenij mei partum: scio quippe in eadem hac: quam premo, encomij materia plurimorum desudasse, & dessudaturā industriam: attamen quemadmodū dura, probeque tersa corpora, etsi non ob id manu contrectētur vt tersiora fiant: nihilominus vsu venit vt glabriora, atque politiora euadant: ita nomen immortale Zamoscij à plurimis scriptoribus celebratum, gymnicus hic meus labor (quanquam impar tanto oneri) relinquet erudito lectori, vndè & exercitium meum non improbet, & vnà mecum iucunda summi in republica nostra Polona viri recordatione fruatur.

VALE.

PANEGYRICVS

ILLVSTRISSIMI, PERENNISQVE MEMORIÆ VIRI, D. D. IOANNIS DE ZAMOSCIE ZAMOSCII, Supremi Cācellarij Regni Poloniæ, atque exercituum Ducis generalis vitam, resque gestas succinctè complectens.

NISI conclusum obseratumquè animo tenerem, in ætatum decursu peruenire tandem ad aliquid extremum: vt quæ sui ortus primordia habuêre, ex lege & conditione mortalium desinant aliquando, & ex matura tempestiuitate occidant: vtique esset quod cum cæteris migrationem è vita inuicti herois I. Zamoscij mœrore, luctu, lachrismisquè nunquam non prosequerer: esset quod patriæ vicem dolerem, quæ magna solatiorum parte viduata vix manum à pectore abstinet, cuius viuificus ille calor ex tanti viri obitu deferbuit. Sed quoniam non iisdem quibus hominum vita, rerum præclarè gestarum gloria finibus coërcetur, plôrare iubeo illos, qui superstitem defunctorū memoriam non colunt. Ego verò in cōmemoratione virtutum, quibus egregius ille heros immortale sibi decus comparauit mæstitiam omnem deponam, & quibus potero verborum honoribus mortuo parenti patriæ libens ac meritò parentabo. Nequè id à me ita suscipitur, quasi multò splēdidiorum, quibus

ca pietas cordi, encomiastarum penuria ſit: ſed neq; intimos animi ſenſus potui cohibere, neque iniquum exiſtimaui ſi in dicendo non ita exercitatus, concinentibus philomelis Muſarum, ipſe vtcunque leſſum facerē: quando in muſica diſſonas aliquandiu voces ferimus, ſtridulamque harmoniam ad tempus patimur, quia extrema deſitura ſcimus in concentum: ſic perferentur fortaſſe mea de tanti nominis heroë ieiuna teſtimonia, quæ ex luculētis aliorū orationibus colorem atque robur conſecutura ſunt, non ſolùm hac noſtra, aut ætate nepotum, ſed ſeneſcentibus lentè ſeculis ætas ſapientior quaqua patet terrarum immenſus orbis memoriam Zamoſcij cum laude, & grata recordatione diuulgabit: nimirum vt aromata à quocunque terantur longè lateque odorem emittūt, & ſpargunt: ſic virtutum ac meritorum Zamoſcij iucundos ſimul ac fragrantes flores, cur non iuuenili manu attingam? quorum vel leui tactu, non modò Polonicus noſter, ſed hic quem nunc haurio Gallicus aër ſuaui odorum ſuffitu ſit amænandus? neque verò flores inſpiciamus tantùm, quos marceſcentes nulla viſura eſt ætas, ſed ad ipſas radices ex quibus tanta, tamque fœlix vbertas prouenit, memoria cogitationéque perueniamus, vt præteriti reſpicientes ſpatium temporis famę ac nominis Zamoſcij pernnitatem ab ipſis retrò incunabulis contemplemur. Age pueritiæ fibras excutiamus: omnia bonæ ſpei pleniſſima fuêre, quęque ſolita concipi à parentibus longo interuallo vota ſuperarent: nempè diuinus puer eam ingenij non vulgaris indolem, illud virtutis eximiæ ſpeci-

men, illam ſanctiſſimorum oppidò morum ſignificationem edebat, vt quemadmodum Phidię ſignum olim ſimul & aſpiceretur, & probaretur, certaqué meſſis ex tam lęta ſegete haud dubiè expectaretur, quę ne falleret ſapientiſſimus parens prouidit, qui in ipſo ineuntis adoleſcentiæ vere ſibi chariſſimū filiū ijs artibus imbuendū curauit, quæ ſibi ad abdita, & arcana vtriuſque cùm togatę, tùm ſagatæ ſapientiæ, pulſis ignorantiæ nubeculis, faciles gradus ſternerent. Tunc verò id ætatis videre pulcherrimùm erat cum laborib⁹ indefeſſum certamen adoleſcentis, quanta ille contētione, quanto animi ardore ad altiora ſtudia velut vno ſpiritu, curſimque properabat, quam plenis ille velis, quantaque viremorū in eruditionis pelago nauigabat, quàm inoffenſum curſum tenebat: nullæ eum ſirtes decurrentem remorabantur: nullum ſuo diſcrimine ſcopulum infamem fecit: nullis in vadis hæſit: ſed mira ingenij dexteritate, cùm in lubrico adoleſcentiæ plurima ſanè ſuperatu difficilia objciantur, plurima adoleſcens ſuperauit. Iamq; eò firmitatis proceſſerat, vt in rerum luce gerendarum ſuas poſſet virtutes collocare, quæq; in ſcrinio diuini pectoris habitabant longè lateq; ad ſuum, & patrię decus diffundere: ſed cùm magnos quoſque in republica viros ciuilem ex peregrinationibus externarumque gentium commercijs hauſiſſe prudentiam didiciſſet: quanquā ne eo quidem adminiculo opus habebat, qui mente iam pridem, & hiſtoriæ accurata lectione orbem terrarum eſſet emenſus, peregrinationem tamen inſtituit, vt & ipſe oculorum contuitu impreſſas animo

notiones confirmaret, neq; ad colligendam politicæ prudentiæ famam quidquam ex se desiderari potuisset. Ergo non sine lachrimis (vt fit) dimissus à suis in communem Franciæ larem, bonarumque litterarum parentem Lutetiam recta contendit: inque nobilissima Academia laudabili prorsus æmulatione popularis adolescentis, cuius eruditio exquisitissimis laudibus commendaretur à Francis, mirum in modum succensus, ac inflammatus, tantum in litteris operę nauauit, vt illum ipsum cuius gloriam æmularetur immiti acerboque fato (quod immodici labores properauere) dolenter extinctum longè superasse videretur. Italiam indę petijt excolendorum, perficiendorumque ingeniorum officinam, vbi velut diuturnam sitim explere cupiens, adeò in Philosophiæ & Iuris studia sedulus incubuit: vt rarus Italorum esset quem non hæc cogitatio subiret, ipsam sibi cum Astræa Sophiam in mente Zamoscii domicilium posuisse: qui in familiarius doctissimorum quorumque ascitus consortium honorificentissimè à singulis colebatur: mitto latas ab illo Patauiæ in florētissima studijs ciuitate leges, quibus frænum injectum lasciuienti exultātique ferociùs iuuentuti: mitto vigilantiam incredibilem, qua antelucanas artificum omnium operas præuertebat: mitto mansuetudinem, continentiam, cæterasque virtutes, quas in edito collocatas cùm quisque suspiceret, non poterat tantis conspicuum iuuenem ornamentis non admirari vehementer, felicemque Polonorum gentem prędicare, in cuius gremium atque sinum tot, tantarumque virtutum fructus essent redundaturi: nec

verò suam felicitatem prædicatam ab Italis diu nostra gens ignorauit: namque vbi in patriam Zamoscius se recepit, & in Augusti regiā receptus est, illicò ora oculosque omnium in se conuertit, atque in ipsis aulici ministerij rudimētis ita se probauit, vt sine inuidia authoritatem, & sine offensione cuiusquam, gratiā apud cunctos sibi conciliaret: & quemadmodum Rex in illo ornando nihil vnquam prætermisit, quod aut in præmio virtutis esset positum, aut in splendore meritorum: ita Zamoscius tectam conditamque sincero pectore domini sui venerationem ac amorem iugiter circumferret. Sed præstare diu singularem in suum principem obseruantiam non potuit, sublato enim illo è viuis obseruantiæ desiderium successit, quemq; viuum suis officiis coluerat, ereptum ex oculis luctu, & pia recordatione venerari non desinebat: cùm nihil Regis sui manibus iucundius esse sciret, quàm regni, cui cum laude præfuisset, tranquillus florensque status, totus in eam curam Zamoscius incubuit, vt res suæ gentis constitueret, & ex optimo successore patriæ suæ dignitatem vel tueretur, vel etiam augeret. Nec verò cuiquam obscurus erat eius in rempub. animus tot experimentis comprobatus: itaque omnium consensu orator in Galliam mittitur, Polonis Regem ex stirpe regia quæsiturus, benè sedit eius humeris tātæ molis negocium, quod ita vir prudentissimus accurauit, vt cùm ex suæ probitatis, grauitatisque specimine Francos in amorem admirationemque Polonicæ gentis rapuisset, non modò quod legationis caput erat Regis germano Henrico Valesio (in quo

Frācia omnis fiduciȩ plurimum collocabat) vt sceptrū Polonicum accepturus suos penates desereret persuasit, sed etiam ita tenaci societate Francorum ac Polonorum animos conglutinauit, vt tam longis terrarum gentiumque spatijs interjectis, in vnum adhuc consensum animorum vtraque gens conspiret. Dimissus à Carolo Rege, perquam amanter ac beneuolè Hērico in Poloniam, eunti longinqui itineris tædium sermonum de repub. grauissimorum suauitate leuauit. Atque vbi Rex inaugurat⁹ reipub. habenas cæpit moderari, Zamoscij opera vsus fuerat perquam vtiliter: & quidem eius consilijs obtemperante lætissima noui principatus initia fuêre, eademque lætitia progressus continenter omnes comitatura videbatur: sed ô arcana consilia principum: vbi renunciata Henrico Regis fratris mors fuit: ad patrium quod sibi iure successionis debebatur, raptim, ac properè regnum remeauit: & fuit tam subitus, tam inopinatus, tam cæcus discessus mærori proculdubio illis populis, qui ex sui Regis aduentu adhuc gestiebant: illis enim iucundissimum tempus non tam amænitate florum, non viriditate segetum, non tam ipsis Fauonijs, & luce serena lȩtum, atque ridens: quàm exoptato noui Regis aduentu illustre, ac festiuum illuxerat, vtque adulto iam vereiuuenescere natura ipsa videbatur: sic omnia Henrici conspectu recreata, ac propè reformata videbantur: Sed vt fluuij quidam alicubi erumpunt, qui mox in terram reconditi feruntur ignotis alueis ad suum mare: ita cùm princeps ille in nostratium oculos prodijsset, eosque felici spectaculo mirificè affe-

cisset

cisset, nescio quomodo ad auitum regnum subitò relapsus est, vtque apis fugiens desiderij aculeum in Polonorum pectoribus reliquit. Iacebat principe suo destituta Polonia, donec post iactatā diu cōmunis salutis cimbā, ex alto propitium despectans numen ad reipub. nutantis confirmationem Stephano Bathoreo regni gubernacula concessit, vt sapienti moderamine fluctuantem nauim in tranquillitatis portum optimis (quibus ille erat præditus) artibus perduceret, fuit enim ille princeps magnus, à virtutum, rerumque gestarum magnitudine, acrique ingenio, & in deligendis amicorum primarijs iudicio singulari: quid non sperandum Zamoscio tali principe fuit? Ecce intima illum beneuolentia Rex Stephanus complecti, in sinu gestare, in oculis, nihil absque illius cōsilio gerere, omnia fidei committere, fortitudini credere: nec vnquam fides, nec vnquā fortitudo fefellit: indictum est tyrāno Moscorum Basilidi iustum bellum, quo industriæ tuæ Zamosci commissa non fortiter magis, quam celeriter confecisti: Regijs auspicijs ducebas exercitus, manum cum hoste conserebas, victum castris exuebas, munitissima oppida expugnabas, pugnacissimæ genti terrorem inferebas, satis est, si dixero, vincebas, triumphabas. Atque vbi lauream in tui Regis sinum deposuisti, animum illicò ad legum constitutionem, siue reformationem potius conuertisti: bellicis, & paccatis rebus gerendis pari semper industria: vtque foris hosti formidolosus, ita domi erga ciues moderatus: nimirum vir ille immortalitate dignus confusam & indistinctam pu-

blici iuris rationem in certas classes scitè distinxit, quęque immensa ac propè infinita erant,rotunda breuitate conclusit, &, detractis quæ superfluere videbantur reliqua propemodum auctiora fecit. Atque tantorum profectò meritorum debita mercede carere hominem tam sibi & regno necessarium Regia majestas non sustinuit, ast inter selectos eximium splendidæ affinitatis vinculo sibi coniunxit. O præsagam futuri mentem, ô diuinum tuum Stephane iudicium,qui hunc tibi virum non solùm in necessitatibus reipub.cōplicem esse voluisti: verum etiam in affinium collegium cooptasti,quando Zamoscium tuum ipso illo pignore,quod & pietas tua habuit charissimum,& quod fortuna præcipuum,benignè ditasti: quæ tibi ex illius fide, atque obsequio commodè cessura erant sapienter præuidisti: maioremque ex illa affinitate sementem fecisses,si te viuere diutiùs fata voluissent: sed quoniam in hoc tam procelloso mari, & ad omnes tempestates exposito nauigantibus nullus est portus nisi mortis, exacto præfixi temporis spatio, emensoque vitæ breuis curriculo, immortalis gloriæ princeps publico damno extinctus est. O acerbum patriæ fatum,ô luctum bonorum omnium, ô perturbationem rerum publicarum,nisi Zamoscius habenas regni laxiores, & principum mutationibus propè dissolutas, donec Rex alius crearetur, suscepisset: quanta tunc opus fuit prudentia? quanta authoritate? vt quę collapsa fuerant erigerentur, nutantia confirmarentur,exanimata recrearentur, quando primi in repub. viri,cęterique splendidę nobilitatis or-

dines in varias sententias distrahebantur,atque diuellebantur, quando diuersi sensus, & discrepans in electione iudicium, ipsorum denique ducum vtriusque partis dissoni monitus, habitusque dissimiles. Nonnulli quippe per agros, perque vicos oberrantes aliū, atque alium regem proclamabant, quosque obuios habebant, eosdem proclamare cogebant: sileo cætera (quę indignatio vetat loqui) crebras nostrorum hominum corruptelas, sileo distributa inter factiosos reipub.munia: sileo agrorum vicinorum diurnas nocturnasque depopulationes: sileo (quod in toto illo belligenere audacissimum extitit) clandestinas armatorum in suburbana præsidia impressiones,quas irrita oppugnatio nobilissimę ciuitatis est subsecuta. Ast optimiquique sanioris consilij authorem,selectissimarumque copiarum ducem Zamoscium sequebātur, qui cum factiosos primum repressisset, ac retrò cedere compulisset: tandem consistere ausos tanta vi agressus est, vt in ipso conflictu eò majorem inimicorum stragem ediderit, quo amplioribus subsidijs instructi constiterant: ita ad Byczynam vsque fusi,cęsique inimicorum equites, patentes etiam fugientibus ad salutem, securitatemque castelli illius portas, corporum suorum mole clauserunt: dumque laudibus ab ijs qui rectè de repub. sentiebant certatim Zamoscius efferebatur: ipse nequis astu euadere, nequis (vt fit) collectis viribus instaurare prēlium potuisset, vigili cura prouidebat, quando hostem à frontè, & à tergo strenuo milite cinxit: & ad pacis æquissimas conditiones deductum, affe-

ctato dominio abdicare coëgit. Quę cùm gererentur Sereniss. Sigismundum felicitas Zamoscij alia ex parte iuuabat: nondum tempestiuo mari, affuêre tamen nauigantib. felices auræ, & fluctus secundi, futuroque Regi non ipsa victoria tantum, sed & maria tempestatesque obsecundabant: appulit in Poloniam Sigismundus: quem vt Polonia vidit, statim mutare faciem visa est, fuitque orbis reipub. ad illius aduentum mirè conuersus: sed vt conuerteretur Zamoscius effecerat, à quo sustentata negotiorum moles facilem Sigismundo imponendę coronidis gloriam concinnaret: concussa res nostra fuerat, ac penè dixerim contremuerat, non aliter quàm solet terra ventis, aut aquis subter immissis interuulsa sui soliditate nutare: statim igitur vt sceptrum quod totius gentis nomine Zamoscius obtulit accepit Sigismundus, confirmata & corroborata fuit, ac seruata toties Zamoscij fortitudine ac prudentia Polonia, seruatori secundum diuinum numen suo gratias agebat, & læta omnia in eo principatu, qui tanti viri consilijs regeretur, sperabat expectabatque: et euentus quidem spei exspectationique probè respondit. Quis enim tanta in commune bonũ contulit? quanta heros Zamoscius. Numquispiam alius Zamosci Valachiam (ambitiosi Transiluani vicario interfecto) adjecit regno pręter te? Num quispiam pietatem in patriam, luculentius demonstrauit? quod eam à barbaricâ feritate intaminatam conseruasti: illo pręsertim, illo ipso tempore, quo duo dato fidei symbolo, immanes, & numerosi populi Tartari, & Turcæ conjunctis viribus in fines Poloniæ, velut incendia in proximas domorum contignationes deuoluebantur, indè facilius in Hungariam penetraturi: hoc verò quanti erat discriminis nemo poterat cogitare, nemo conijcere meliùs, nisi tu ipse strenue dux Zamosci, qui patriæ vniuersæ salutem, qua nihil priùs, nihil antiquiùs habuisti, ad vltimum vitę spiritum tuebare: mox ergo exorato numine ad eas te artes contulisti, in quibus plurimum confidebas: hic ego multa consultò prætereo, dum cupidus ad singularem illam victoriam, qua vniuersæ reipub. salus vindicata, festino: stupenda quippe res est subsecuta, quando post detruncatum ducem Tartarorum principem admirabilis illa, & nunquam antehac visa conglobatarum acierum, & trepidantium fato suo cohortium confusio spectaculo nostris sese exhibuit: ô triumphum dignum tali bello, qui omnium oculis subijci meritò deberet: cuius enim potentiæ solertiæque fuit hostes terrore & formidine complere, ordines conturbare, eiusdem deditos ad imperia, voluntatemque suam suis armis alligare, atque etiam vincere vt barbaros ferri illius quod contra Polonos acuerant, diutissimè pœniteret. Itane omnium omnis generis armorum ministeria ad diuersos effectus arbitrio tuo magne Zamosci seruiere? tibi vincebant gladij, tibi seruabant, te pugnante feriebant, te ignoscente tuebantur: Perfecisti pulsis à limitibus regni monstris, vt post timorem regnaret apud tuos securitas, post periculorum æstus omnes velut in vmbraculum sub dexterę tuæ præsidium confugerent, confecisti quippe inuicte heros

bellum illud, quod cunctis prouincijs impendere videbatur, tamque latè vagari, & flagrare poterat, quā latè Polonia nostra, & Hungaria patet: neque enim si metu tui lues illa inimicorum solis limitibus intabuisset: idcirco nescimus quanto se alias furore iactasset, si fiduciam peruagandi qua patebat habuisset. Numquisquam Moldauiæ principi terribilior? quando te fortuna triumphis oneratum domum subsecuta reduxit, impurum verò, & ambitiosum hostem pudor & pęnitentia in desperationem adegit. Iam cūctis è quacumque cæli plaga emergentibus inimicis alacritatis tuæ terrore coërcitis, deerat materia vincēdi: nisi nouus hostis Sudermanus fuisset exortus, perque vim, ac iniuriam in Liuoniam irrupisset: & ex eo calamitatem in res nostras importasset: fueratque ea regio vastata prorsus, nî tuę dexteritatis festinum auxilium adfuisset, & hostis ferociam manus armata fregisset: non te affecto corpore perpes labor subeundus, ab illa expeditione: non cruda adhuc hyems, nō iter gelu intractabile, immensum spatio, niuibus infestum, retardauit: nondum pectore tuo ardor martius efferbuerat, quem secuti fortissimi quique militū, dignos se tuo ductu imperioque testati, sic viritim laborauerunt, quasi summa res singulorum manu teneretur: sic porrò peruectus es in Liuoniam, vt quia te non comitata, sed præstolata potiùs victoria videretur: nemo dubitaret portum tibi victoriæ spontè patuisse: quando hostis adfectati dominij supplicia pependit, atque ita cecidit, vt fractę semel potentiæ suæ vires, ęgrè instaurare potuerit. Illud verò cuius mi-

raculi est? neminem direptorum miserè bonorum aduentu tuo sensisse dispendium: quando à te singulis reddita priuatim patrimonia, quos illa monstrosa labes, & peregrina diritas extorres domo fecerat: qvando arcium munitissimarum complures, & propemodum inaccessas, citra vllam moram, tuta salute tuorum, & patrię communi velut proprium recuperasti, & sub veteris domini tutella collocasti. Talia semper heros magnanime in republica gessisti tāta vi, tantoque successu, vt nunquam virtus tua in adeundis, perficiēdisque laboribus intremuerit: nunquam rerum vsu longo confirmata prudentia hæserit: nunquam cælitùs concessa fælicitas claudicarit. Cæterùm quoniam video magnam meę partem orationis in rerum à Zamoscio gestarum preconio fuisse versatam, reliquam in admirandis virtutum exēplis consumpsisse non pigebit: imitari quippe lubet pictores qui longa intentione hebetatos oculos ad specula quædam, & virores colligunt: sic emenso clarorum illustris viri factorum campo, ad virentia me virtutum prata conuertam. Equidem siue tuam ô strenue Zamosci in Deum pietatem intuemur, siue in patriam affectum, multi in imitationem rapimur, plures ex admiratione stuporem concipimus. Quis enim religionis ardor tam feruens? tam purus numinis cultus? quem non & animo tuo inclusum tota vita circumferres, & si quando vsus esset, externo cultu præte ferres? Nulla tibi rerum gerendarum exordia sine cælestis auxilij inuocatione: nulla bellorum initia non eodem illi numini, in quod desinebant,

commissa fuêre: nihil indè in vniuerso Poloniæ regno tam obscurum esse potuit, quod non sagacitatis tuæ radijs illustrares: nihil tam triste, aut durum obseruabatur, quod tu sapientia singulari non emollires, aut perfringeres: nihil tam infelix, tam prodigiosum quacunque terrarum parte emerserat, quod non armatus, tum ijs præsidijs, quæ de cælo ministrari tibi experiebare: tum illis, quæ humanæ prębent vires, auerteres, ac propulsares. Atque hæc quidem omnia, vt non humanarum virium esse censuisti: ita te æterno illi numini cum exhibuisti, quem illud omni gratia, ac felicitate toto vitæ decursu cumularet. Num illa quoque pietatis monumenta sera posteritas conticescet? & si minùs non eadem qua nos, certè maiore celebritate tantum virum est prosecutura? quando plurima ab eo fundata templa, plurima exercendæ pietatis, ac religionis loca offendet? quæ si loqui potuissent, quid aliud de te aptiùs, aut magnificentiùs effarentur? quàm: fuisse virum, cui numinis cultus in animo penitùs insedit: cuius cogitatio non priùs ad salutem, communeque bonum conuerteretur, quàm pietatis pensum exoluisset: cui & curæ condendarum arcium, ciuitatum, aut quarumuis tutandę publicę salutis causa aggestarum molium, & earum ædium quæ diuina laude perenniter personarent. O virum cui patria communis ob amplissima, & nunquam interitura in se merita statuas, columnas, colossos, cæteraque id genus monimenta erigat. O virum cuius res gestas non tantum patricij, plebeique admirati sunt: verùm etiam ipsi reges comprobarunt: eo

pręsertim

præsertim tempore, quo arduum de te rectè ac sincerè consulendi, acriterque pro salute communi, ac reipublicæ conseruatione decertandi exemplum reliquisti: cui non magis de populo, quā de principū numero possit conformari. An aliud à te, quā senatus reuerentiam, consilia in longum porrecta exoptatum finem, bella verò casus miros minitantia triumphum, obtinêre? Num etiam ea postrema laus est, culturæ ingeniorum polonicorum tantoperè fuisse studiosum, vt nihil prætermiseris, quod ad litterarum exertitia pertineret: quando sapientiæ doctores in vrbem tuam clarissimam, præmiorum splendore inuitasti: quando vt Academia ad vberem ingeniorum prouētum erigeretur, curasti: noueras quippe in eruditione magnum momentum ad rerumpub. felicitatem esse: noueras in eruditione prudentem inuenire vnde sapientior fiat: bellatorem reperire, vndè animi virtute roboretur: principem accipere, quemadmodū populos sub æqualitate componat. Quid dicā? quod ad animi ornamenta, corporis quoque accedebant, vt non solùm splendorem regni Polonici Zamoscius fortitudine, ac sapientia, reliquisque virtutibus: sed decore etiam corporis sui, & dignitate potuerit ornare: cuius vel ipsa forma venerabilis, tam longè latéque conspicua commendabat imperium, vt planè in ambiguo fuerit, vtrum se Zamoscius suorum mentibus magis, an oculis insinuaret: quid faciles ad eum aditus? quid aures patientissimas? quid condita humanitate responsa? quid vultus ipsos ad grauitatem hilaritate permixtam cōpositos commemorare? quis

exequi pro dignitate possit? iucunda tui memoria ô Zamosci facit, quod sermoni de te meo vix possim colophonem imponere: Quomodo te admirari: quomodo tuas laudes prędicare desinam? quando res gerere admiratione, & prædicatione dignissimas nunquam desieris: cuius neque otium negocio vacauit: neque fructus, negocium expers fuit: non enim te amæna, aut dicata quieti rura, non dispositi ad temporum vices secessus complectebantur: sed siue tu in agris, siue in oppidis tempus traducebas, rem, & famam pariter augebas: iam si cætera percenseri oratione fas esset extrema sermonis in exordia relaberentur: neque sibi exitum mea reperiret oratio. Reliquum est igitur (quod mihi solum est integrum) vt quas ego Zamoscij virtutes atque dotes singulas, pro pietate in ipsum, venerabar: nunc velut in vnum conglomeratas: & tãquam in choro implexas manibus religiosus cultor, ex ipsarum discedens templo salutem: saluete ô beati manes immortalis viri illius, cui fælix patria vel ob id ipsum, quòd ciue tali diutissimè stetisset, nec non floruisset: cui domus clara splendoremque à rebus gestis præcipuum fænerata: cui forma egregia planè imperio digna: cui valetudo integra, & vegeta senectus: cui militarium, & vrbanorum negociorum administratio contigisset? Cęterum ô inuicte Zamosci quanquam te patriæ tuæ fata eripuerunt: certè non eripuerunt virtutis tuæ opera, quæ oculis ferę posteritatis non solùm erudita oratorum lingua: verùm etiam artificum quorumque perita manus exhibebit, repræsentabitque: cùm te vel inuia, & situ squallentia

loca superantem: vel flumina objecta tranantem: vel hostiles exercitus triumphali ferro conscindentem, pictorum imitatio assequetur: Sapientia sola tua quo cælo? quo pigmento? quo ære? auroue ducetur? qua dominis, ac Regibus tuis imprimis innotuisti, mox publicę acceptus probatusque, custos factus es salutis: porrò vniuersam terram celebritate pruagatus es, ita vt virtuti tuę, ipsa fama nullum illustrius futurum sit præmium: quando (vt cum Poëta loquar)

---------Tua sectus orbis
Nomina ducet.

Eritque Oriens, iuxta & Occidens Zamoscio incomparabili heroï duraturum cum seculis, non ex ære, aut marmore modò, sed ex famæ celebritate, ac perennitate, laude insigne monumentum.

PARISIIS,
Anno Domimi cIↄ. Iↄ. cVI.

